

Matth. XXVI apparet ex conclusione vers. 13: « *Vigilate itaque quia nescitis diem neque horam.* » Unde apparet totum sensum parabola ad vigilantiam in vita spirituali suadendam pertinere. Ex hoc autem interpres facile distinguere poterit quanam circumstantiae parabola specialem habeant significationem, quanam vero ea careant, prout ad scopum vel pertinent, vel indifferentes sunt. Nonnulla enim in parabolis, et allegoriis ponuntur dumtaxat ad ornandam sermonem, vel ad narrationem verosimiliorem efficiendam.

Haec sunt praecipua subsidia ad definiendum sensum figurarum biblicarum, praeter generale medium quod supeditat accurata notitia usus loquendi. Cum autem interpres ex his vel aliis rationibus conatus fuerit obscuriorem figuram intelligere, ad ulteriorem rei demonstrationem poterit hoc experimento suam interpretationem subicere. Scilicet sensum, quem putat se invenisse, propriis verbis expressum substituat verbis figuratis, et pacato animo consideret an omnia recte se habeant: et siquidem inveniunt omnia apprimè cohaerere rei naturae, loquentis scopo, et adiunctis, sermonis contextui etc. indicabit rectam a se interpretationem inventam esse, sin autem minus, iterum interpretatio tentanda erit.

CAPUT II.

DE CRITERIIS ET REGULIS LOGICIS INTERPRETATIONIS BIBLICAE

Superius animadvertimus solam philologiam non sufficere ad mentem auctorum semper et recte intelligendam, cum loquendi usus non ita sensum sermonis determinet, ut nihil relinquat rationi ac voluntati loquentis seu scribentis, qui dum verba inter se componit, et ad suum scopum accommodat, eorum significationem vel restringit, vel extendit, vel paullisper immutat, vel ad unum determinat. Quare ad eius mentem recte et adaequate percipiendam, praeter usum loquendi attendenda sunt etiam *Criteria logica* quae scilicet in humanae cogitationis legibus fundantur. Attendendum itaque est ad *contextum* seu ad connexionem partium ser-

monis inter se; consulenda sunt *loca parallela*, ubi scilicet auctor vel de eadem re loquitur, vel eandem loquendi formam adhibet; item investigandum est quinam sit loquentis vel scribentis *scopus*, quaeque fuerit sermonis *ocasio*; consideranda quoque est *substrata materia*, illius scilicet rei natura de qua fit sermo; denique ipsa *peculiaris forte cogitandi ratio* loquentis vel scribentis propria. Nam iuxta haec omnia auctor sanae mentis cogitationes et loquutiones suas accommodat.

Haec itaque sunt quae appellamus *Criteria logica* interpretationis, quaeque etiam in biblica Hermeneutica locum habent. De his nunc singillatim tractabimus studentes clare docere 1^o accuratam uniuscuiusque notionem atque indolem, 2^o eius valorem atque utilitatem in Hermeneutica Biblica, 3^o rationem illud animadvertendi, discernendi, et applicandi.

ARTICULUS I.

DE CONTEXTU SERMONIS

§. I. De contextus notione, eiusque divisione.

Contextus sermonis ita defini potest: *Nexus inter antecedentia et consequentia in eodem sermone*. Quoniam autem antecedentia et consequentia possunt inter se diverso connexionis genere copulari, hinc oriuntur diversae contextus *species*.

Si connexio sit stricte *logica* uti est ex. gr. inter subiectum et praedicatum, inter praemissas et consequens, inter partes et totum, vel genus et species, vel invicem opposita, tunc habetur contextus stricte *logicus*. Si vero partes sermonis inter se connectantur aliqua imaginationis repraesentatione, vel associatione, uti aiunt, idearum, potius quam logico nexu, contextus dicitur *psychologicus*, qui in Prophetis *opticus* a multis dici solet, eo quod plerumque in *visione* fundetur. Si autem antecedentia et consequentia simul iungantur ordine temporis quo res acciderunt, ut in historiis narrandis fit, habetur contextus *historicus* seu *chronologicus*. Denique si partes orationis simul pluribus ex hisce nexibus copulentur contextus erit *mixtus*, puta *logico-historicus*, vel *historico-opticus*.

§. II. De valore contextus generatim inspecti.

De valore huius criterii in genere statuendum est: considerationem contextus esse praecipuum medium determinandi sensum, qui ex una vocum significatione satis definitus non est. Id autem praestat contextus duplici modo, *negative* scilicet et *positive*: *negative*, docendo quinam sensus non possit tribui auctori, *positive* autem adiuvando interpretem ut auctoris mentem recte assequatur. Pro duplici hoc casu diversus est valor contextus: *negative* enim acceptum hoc criterium certitudinem parit, seu sensum falsum certo excludit, si vero *positive* applicetur non semper certum interpretationis criterium constituit, cum per se non repugnet interpretationem aliquam cum antecedentibus et consequentibus satis convenire, quae tamen a mente auctoris aliena sit. Quare possunt sequentes generales regulae proponi.

Regula 1.^a *Interpretatio alicuius loci, quae contextui repugnet, ut falsa reiicienda est.*

Ratio est quia auctor praesumitur loquutus esse cohaerenter, et iuxta logicas humanae mentis leges: idque multo magis cum de Auctoribus sacris est sermo. Ita ex. gr. quod ait Christus Io. VI, 64: « *Verba, quae ego loquutus sum vobis, spiritus et vita sunt* » a multis Protestantibus ita explicatur ac si Christus intellexerit verba hucusque prolata de sua carne manducanda, et de sanguine bibendo non proprium sensum habere, sed metaphoricum. At male prorsus: siquidem totus sermonis contextus verum esum, verumque potum certissime indicat, ut superius innuimus, et a Theologis aperte demonstratur.

Regula 2.^a *Si contextus unam tantum patiatur alicuius loci interpretationem, caeterae autem ei contradicant, illa una interpretatio uti vera habenda est.*

Ratio patet ex regula praecedente; cum enim necesse sit aliquem sensum in quolibet loco verum esse, si omnes praeter unum reiiciendi sint quia contextui non conveniunt, dicendum est illum unum esse verum loci sensum. Cum autem hoc satis frequenter occurrat, apparet contextum aliquando etiam positive, quamvis indirecte, verum sensum certo demonstrare. Cavendum tamen est ne nimis facile credamus aliquam interpretationem aut convenire, aut repugnare contextui: in locis enim valde obscuris id admodum difficile est determinare, et tunc fieri potest ut nulla ex ad-

ductis interpretationibus vera sit, licet una videatur cum contextu cohaerere, aut etiam ut aliqua ex iis quas repugnantes existimavimus, verum loci sensum exhibeat: tunc igitur ad alia criteria confugiendum est ut quaestio dirimatur.

Regula 3.^a *Si contextus plures interpretationes alicuius loci admittat, coeteris paribus, ea est praeferenda, quae aptius et plenius cum contextu convenit: si autem hoc discerni non possit, ex aliis criteriis iudicium est ferendum.*

Huius regulae ratio ex superius dictis deduci potest. Ita ex. gr. verba Is. LIII, 8: « *Generationem eius quis enarrabit?* » variis modis intelligi possunt, ut, de generatione divina Verbi, vel de generatione temporali eiusdem ex Virgine, vel de generatione hominum inter quos vitam ducturus erat Christus, qui omnes sensus cum contextu satis conveniunt, postremus tamen melius convenire videtur quam coeteri. Verum de usu positivo contextus plura magis particulariter dicenda sunt iuxta varias contextus species.

§. III. De usu contextus in specie considerati.

I. Emolumenta *contextus logici* haec praecipue sunt.

1^o Sensum ambiguum verborum determinat. Ita ex. gr. Luc. XVI, 9 Christus, narrata parabola villici infidelis, aiebat: « *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis:* » quid sit mammona iniquitatis, num scilicet divitiae iniuste comparatae, an aliquid aliud ambiguum videri potest, sed si legantur coetera, occurret alia Christi sententia v. 11: « *Si ergo in iniquo mammona fideles non fuistis, quod verum est quis credet vobis?* » ubi antithesis inter *iniquum* et *verum*, ostendit illud non significare iniustum, sed *vanum*, *caducum*, *fallax*, quales sunt divitiae huius mundi. Paulus in 1 Cor. XV, 47 Christum Dominum cum Adamo comparans ait: « *Primus homo de terra terrenus, secundus homo de coelo celestis:* » quo sensu Christus hic dicatur *coelestis* incertum videtur: num quia Deus est? num quia de virgine natus? an alia de causa? Sed attenda contextus inspectio evincit Apostolum hic respicere ad qualitates gloriosas corporis Christi redivivi, quod fuit exemplar, iuxta quod omnium iustorum corpora resurgent gloriosa in die extremi iudicii. Ita quoque Gal. III, 3, ubi legitur: « *Sic stulti estis, ut cum spiritu coeperitis nunc carne consummemini?* » posset quis existimare ibi de vitiis carnalibus sermonem esse; verum contextus

ostendit ibi *spiritum* significare puram observantiam legis Evangelicae, *carnem* vero observantiam caeremoniarum legalium, quas, licet per Evangelium abrogatas, Galatae illi a pseudo-apostolis ducti Evangelio immiscere coeperant.

2° Sensum verborum aut restringendum, aut extendendum esse docet. Ita ex. gr. Io. I, 1 seqq. vox *λογος*; *Verbum* ex toto contextu determinatur ad personam divinam Filii denotandam. Ita quoque Hebr. XI, 2, cum Paulus ait: « In hac (fide) testimonium consequenti sunt *senes* » vox illa *senes* ob contextum strictiorem sensum accipit ad significandum Patriarchas V. T. quorum fidem postea singillatim laudat. Viceversa autem Rom. I, 28 cum Apostolus de paganorum vitiiis loquens ait: « tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant *ea quae non conveniunt* » licet mitiori phrasi utatur, ex antecedentibus tamen et consequentibus, de gravissimis et enormibus criminibus intelligi debet.

3° Aliquando docet contextus verba in sensu paullisper diverso a consueto accipienda esse. Ita ex. gr. Rom XIV, 23, ubi legitur: « Omne autem quod non est *ex fide* peccatum est » vox *fides* non est accipienda pro fide theologica, ut Lutherani et lansenistae aliquando exposuerunt, aut pro fiducia, ut in aliis locis N. T., sed pro dictamine conscientiae: de hoc enim agit in antecedentibus, quorum conclusio est praedicta sententia. Ita etiam in eadem Epistola (VI, 7) ubi Apostolus ait: « *Qui enim mortuus est*, iustificatus est a peccato » licet vox *mortuus* absolute ponatur, ob contextum tamen restringenda est ad mysticam mortem, qua quis sua vitia et concupiscentias comprimit, et abscondit; hoc enim cum in praecedentibus, tum in sequentibus clare et aperte docetur. Idem dicas de locis illis Apostoli, ubi *peccatum* accipitur pro concupiscentia, vel etiam pro poena peccati, et alia huiusmodi.

4° Logicus contextus saepe docet ubi verba metaphorice accipienda sint, et quid per metaphoram significetur. Huius rei exempla adducta sunt in Capite praecedenti Art. IV.

II. Contextus *psychologicus* haec emolumenta praestat.

1° Rationem reddit sententiae, vel sermonis, qui inopportunos, et extra chorum, ut aiunt, canere videtur. En aliqua exempla. Mar. IX, 41-49 Christus dum Apostolos, et turbas hortaretur ad scandalum vitandum innocentium puerorum, excurrit ad vehemen-

tem hortationem, qua absolute iubet omnia salutis impedimenta, quae scandalum ingerant praecidere. Ita quoque Io. IV, 34, aiebat Christus: « *Meus cibus est*, ut faciam voluntatem eius qui misit me » quae metaphora paulo durior, et insueta explicatur ex circumstantia quae praecessit: Apostoli enim ipsi Christo ex itinere fatigato, et ad puteum cum Samaritana colloquente cibos obtulerant, et ad manducandum hortati fuerant, quibus recusatis, ipse ea verba protulit per associationem idearum metaphoram ciborum usurpans. Item Io. VII, 37 cum Christus festo Scenopegiae Ierosolymis interesset « in novissimo autem die magno festivitatis, stabat Iesus, et clamabat, dicens: *si quis sitit veniat ad me, et bibat*, » quae abrupta exclamatio inopportuna videri posset; verum illam explicat *psychologicus* nexus ex eo ortus quod in illa die solerent Sacerdotes aquam ex fonte Siloe haustam coram populo effundere clangentibus tubis, cuius caeremoniae occasione Christus usus est ad aliam aquam, scilicet ad spiritualem suae gratiae effusionem Iudaeis commendandam.

2° Alias rationem reddit interruptionis contextus logici. Ita I Cor. VII Apostolus de matrimonio et virginitate disserit: cum autem vers. 12 et seqq. notasset matrimonium dissolvi posse, si pars infidelis nolit cum coniuge ad fidem converso pacifice cohabitare, hinc vers. 17 incipit de aliis quoque vitae statibus disserere ut de circumcisis et incircumcisis, de servis et liberis, et ita prosequitur usque ad vers. 23, ubi resumit interruptum sermonem de virginitate et matrimonio. Illa igitur digressio per *psychologicum* nexum, seu per associationem idearum explicanda est. Ita etiam videtur explicandus contextus Pauli in celebri loco de peccato originali Rom. V, ubi sermo inchoatus vers. 12 suspenditur, nonnullis interiectis vers. 13-17, et demum resumitur, et absolvitur vers. 18.

3° In Prophetis contextus *psychologicus* in causa est cur res longo saeculorum spatio inter se dissitas simul coniungant, quia scilicet in eorum mente vel imaginatione simul representabantur, vel etiam quia in una re typicam alterius significationem videbant, ideoque ab una ad aliam abrupte excurrerant. Ita ex. gr. Isais, Ieremias, Ezechiel simul loquuntur de liberatione populi Hebraeorum a captivitate Babylonica, et de liberatione humani generis a

captivitate peccati per Messiam efficienda, ita etiam Christus Dominus Matth. XXIV simul coniungit, et permiscet praedictionem de proximo futuro excidio Ierosolymae, et de fine mundi; Iohannes quoque in Apocalypsi eventus Ecclesiae futuros aliquando in uno eodemque contextu coniungit quamvis ad diversas Ecclesiae aetates pertineant. Contextus hic in Prophetis speciali vocabulo appellari solet *opticus*, ut superius innuimus.

III. Emolumenta contextus *historici* seu *chronologici*.

Experientia docet notitiam antecedentium et consequentium in historiis legendis tam esse utilem, ac necessariam, ut sine ea singulae narrationes aliquando vix intelligi, aut certe non possint recte aestimari: quod quidem etiam in historia sacra valet. Contextus igitur historicus seu chronologicus in partibus historicis sacrae Scripturae exponendis diligenter attendendus est.

Verum hic notandum est sacros Scriptores non raro ab hoc ordine chronologico plus minusve deflectere: quod praecipue fit tribus modis sequentibus.

1° Per *prolepsim*, seu anticipationem, cum scilicet aliquod factum commemoratur, quod pertinet ad epocham posteriorem, cuius narratio nondum incepta est. Ita ex. gr. Gen. XI, narratur mors Patriarchae Thare patris Abraham in Haran: deinde vero cap. XII incipit historia Abrahami, et narratur eius vocatio, ex qua factum est ut Abraham cum patre ex Ur chaldaeorum egressus veniret in Haran, ubi antea dictum est Thare mortuum fuisse. Mors igitur illius Patriarchae per *prolepsim* narrata est in capite praecedente, quamvis post Abrahami vocationem acciderit. Id autem fieri plerumque solet ex eo quod scriptor periodum aliquam historiae concludere volens, ut alteram exordiat, mentionem facit de iis quae ad priorem illam periodum aliquo modo referuntur, etiamsi aliquando post acciderint, et de quibus secus occasio deesset loquendi in subsequenti narratione.

2° Per *metalepsim*, seu posticipationem, quae tunc fit cum in aliquius rei narratione pertexenda memoratur factum vel circumstantia quae ad narrationem praecedentem pertinet. Sic Luc. III, 21 seq. narratur baptismus Christi, cum antea vers. 19 et 20 narrata fuisset apprehensio, et captivitas Iohannis Baptistae. Porro Christi Baptismus ad historiam Iohannis ad Iordanem praedicantis et bap-

zantis pertinet, ideoque praecessit ipsius Iohannis captivitatem: est igitur hic positus extra locum, seu per *metalepsim*. Hoc plerumque fit quum aliqua circumstantia alicuius narrationis praecedentis tanti momenti est, et ita cum subsequenti historia connexa, ut opportunum videatur scriptori illam seorsim, et post completam priorem narrationem referre: ut apparet ex adducto exemplo de baptismo Christi, qui licet ad historiam Iohannis Baptistae pertineret, multo tamen magis pertinebat ad sequentem historiam publicae missionis ac vitae Christi Iesu, cuius inauguratio solemnissimum fuit ille ritus in Christo peractus.

3° Aliquando sacri historici duos eventus qui multorum annorum spatio ab invicem distant, perinde narrat ac si eodem tempore accidissent. Exemplo sit Matthaeus qui in fine cap. II narrat reditum Christi pueri in Palaestinam, et commorationem in urbe Nazareth, mox vero incipit cap. III hisce verbis: « *In diebus autem illis venit Iohannes Baptista praedicans in deserto Iudaeae etc.* » quamvis certe inter primum et alterum eventum viginti quinque circiter anni intercesserint.

Ut vero interpres cognoscat quandonam Hagiographi uno vel altero ex praedictis modis ab ordine chronologico recesserint, attendenda sunt 1° ipsa rei natura, ut in citato loco Geneseos, vel 2° alii loci, sive eiusdem, sive aliorum auctorum, ex quibus verus factorum ordo innotescit; ita in cit. loc. Lucae conferendi sunt Matth. III, 16, XIV, 3-12, Mar. I, 40, VI, 17-30 et Io. I, 32; locus autem adductus ex Matthaeo conferendus est cum Luc. II, 1, 40 et seq. et 52, III, 1 et seq.

IV. De emolumentis contextus *mixti*.

Multiplex esse potest contextus mixtus, pro varia scilicet contextuum compositione, seu concursu: sed imprimis notandus est contextus *historico-logicus*, cum scilicet in narrandis factis non solum ad chronologicum ordinem attenditur, sed etiam ad finem demonstrandi aliquam veritatem, ad quem finem factorum narrationes diriguntur et coordinantur. Hinc multa omittuntur, aut leviter tanguntur, alia prolixius narrantur, aut simul coniunguntur, quamvis aetate diversa acciderint. Exempla suppeditant Evangelistae Matthaeus, et Iohannes, quorum alter Messianam dignitatem Christi,

alter divinam eius naturam, et cum patre consubstantialitatem demonstrandam assumpserat in scribendo Evangelio.

§. IV. Modus inveniendi contextum, et cautela in eo servandae.

Ad contextum sermonis intelligendum necessaria est attenta lectio sermonis, et eius analysis, ut appareat quatenam sit persona loquens, an haec mutetur, quid sibi dicendum proponat, quatenam sint argumenta quibus utitur, quae conclusio sermonis, et alia huiusmodi; quod quidem non ita difficile factu est, et tamen a multis negligitur, unde tot pravae et insulae locorum quorundam interpretationes oriuntur.

Qua in re notanda sunt quae sequuntur. 1^o) Non sufficit pauca verba antecedentia et consequentia legere, sed integer locus est expendendus si aliquantum obscurus appareat. Saepe enim vera intelligentia non a contextu proximo, sed a contextu remoto pendet, ut fit in nonnullis ex allatis exemplis. 2^o) Contextus accipiendus est prout iacet in sacris Libris, minime autem *violenter* effingendus, et ad sua placita accommodandus. In hoc vitium saepe inciderant haeretici, et aliqui audaciores interpretes, et quidem duplici modo, aliquando per artificium criticum voculas interpolando, aut subtrahendo contra fidem codicum, vel interpunctionem mutando; alias per artificium hermeneuticum significationes minus obvias affingendo particulis orationis, ex quibus contextus praecipue efficitur. Ita ex. gr. S. Augustinus narrat Arianos contextum priorum versiculorum Evangelii Iohannis immutasse, interposito puncto post vocem *erat*, et vocem *Verbum* coniungentes cum sequenti versiculo, ita ut legerent: « Et Deus erat. Verbum hoc (seu res ista) erat in principio apud Deum. » (August. De Doctr. Christ. III, 2). Ita quoque Iahnus contextum 1. Tim. III, 16, 17 immutat contendens verba: *columna et firmamentum veritatis*, non esse referenda ad Ecclesiam in praecedentibus nominatam, sed coniungenda esse cum sequentibus, ubi de mysterio incarnationis sermo est, ita ut legendum sit: « ut scias quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quae est Ecclesia Dei vivi. Columna et firmamentum veritatis, et manifeste magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne etc. » (Iahn. Enchirid. herm. pag. 33). Sed male prorsus: nam verba illa de Ecclesia Dei vivi a Paulo prolata fuisse probat non solum Patrum et Theologorum consensus, qui exinde

demonstrant Ecclesiae infallibilitatem, sed etiam omnium editionum et codicum mss. auctoritas qui post verbum *veritatis*, *ἀληθείας*, novam periodum inchoant, teste Scholzio in edit. crit. N. T. Tom. II, ad hunc locum; rationes autem a Iahnio adductae ad meras internas coniecturas, et quidem non bene fundatas, revocantur.

ARTICULUS II.

DE PARALLELISMO BIBLICO

§. I. De parallelismi notione, ac variis speciebus.

Parallelismus est: *Similitudo existens inter varia loca eiusdem libri, vel saltem eiusdem auctoris*. Quae si in sacris Libris inveniatur erit *parallelismus biblicus*. Ipsa vero loca quae ita similia inter se sunt dicuntur *loca parallela*. Cum autem auctor primarius Sacrae Scripturae unus sit, Spiritus Sanctus, patet parallelismum biblicum ad integram Scripturam se porrigere, quamvis loca unius eiusdemque auctoris secundarii in parallelismo prae ceteris attendenda sint. Dividitur autem parallelismus in *verbalem*, et *realem*. Verbalis habetur in iis locis ubi eadem vox vel phrasid recurrit, realis ubi de iisdem rebus est sermo. Rursus parallelismus realis dispescitur in *historicum*, et *doctrinalem* seu didacticum, prout scilicet res de quibus in diversis locis agitur aut sunt facta historica, aut sunt doctrinae capita, sive theoretica, sive practica.

§. II. De parallelismi valore, et usu hermeneutico.

Usus parallelismi maximus est in declarandis locis, quae etiam post considerationem contextus obscura vel ambigua remanent: quare hoc criterium veluti *supplementum* contextus habendum est. Saepe enia fit ut quod uno in loco obscure, vel nimis concise ab auctore positum est, in aliis locis clarius et copiosius exponatur. Potest itaque stabiliri haec generalis regula.

Loca Sacrae Scripturae, quae etiam in contextu spectata ambigua vel obscura videntur, coeteris paribus, eo sensu accipienda sunt, quem habent in locis parallelis.

Ratio, in qua fundatur praedicta regula haec est: auctor non solum praesumendus est sibi cohaerere in uno eodemque sermone, sed etiam in diversis sermonibus, aut scriptis: ideoque post con-

textum etiam loca parallela eius mentem declarare censenda sunt. Verum ut huius criterii usus melius ostendatur, quaedam in specie dicemus de emolumentis, quae interpreti suppeditant singulae species parallelismi iuxta traditam divisionem.

I. *Parallelismus verbalis* haec prae coeteris praestat.

1° Voces aut phrases obscuras declarat, cum scilicet dictio quae in uno loco obscura videtur in aliis clarior apparet, ob contextum, rei naturam vel alia de causa. Exempla huius rei multa vidimus loquentes de idiotismis Vulgatae Latinae, et de figuratis loquutionibus Sacrae Scripturae. Hic addimus illustre exemplum ex vaticinio Isaiae VII, 14: « Ecce virgo concipiet et pariet filium » ubi in textu hebraico occurrit vox *עַלְמָה* *almah*, quam Hieronymus reddidit *Virgo*, et LXX interpretes *Παρθενος*. Iudaei recentiores et hodierni rationalistae contendunt vocem illam non accipiendam esse de virgine, sed de uxore quacumque. Porro, omissis nunc aliis argumentis desumptis ex consensu antiquorum testium, etiam Iudaeorum, ex contextu, et scopo sermonis, aliisque similibus, possemus hic urgere contra adversarios parallelismum verbalem, quo olim Hieronymus usus est ad Iudaeos confundendos. Et sane vox illa *עַלְמָה*, praeter locum in quaestione, sexies tantum recurrit in textu hebraico, nempe Gen. XXIV, 43, Ex. II, 3, Ps. LXVII, 26, Cant. I, 3 et VI, 8, Prov. XIII, 19: iamvero in his locis nunquam de muliere corrupta, vel de uxore quae virginitatem amiserit, sed de puella innapta et virgine accipitur; quare etiam in loco Isaiae similiter accipienda est. Alterum exemplum suppeditat magnifica illa promissio Ecclesiae facta a Christo Matth. XXVIII, 2: « Ecce Ego *co-biscum sum* omnibus diebus usque ad consummationem saeculi. » Si Protestantes admittere recusant hic specialem divinam protectionem et iugem adistentiam promissam fuisse, cuius ope Ecclesia indefectibilis prorsus evaserit, possemus illos convincere etiam ex parallelismo verbali, unde apparet phrasim illam, qua dicitur Deus esse cum aliquo hunc omnino sensum habere, ut ex. gr. Gen. XXXIX, 3, Num. XIV, 9, Ios. I, 17, Ier. I, 8, Io. VIII, 29, et alibi.

2° Saepe docet parallelismus verbalis alicuius vocis aut phraseos ambitum vel augendum, vel minuendum esse. Ita in N. T. *lex* accipitur restrictive pro lege Moysi, *consummatio* pro fine mundi, *gehenna* pro inferno, *caro et sanguis* pro hominibus vel affectibus

mundanis, et ita plures aliae voces, quae si in quibusdam locis obscurae vel ambiguae sunt, per parallela loca, ubi certam habent significationem abunde declarantur.

II. *Parallelismus historicus* magno adiuvento est ad rectam historiae biblicae intelligentiam: unusquisque enim scit quantum juret ad certam et plenam factorum notitiam adipiscendam plures auctores, qui de eadem historia scripserunt, consulere, et inter se conferre, dummodo isti invicem non pugnent, quod in Hagiographis fieri nequit.

Speciatim vero duobus modis interpretem adiuvat parallelismus historicus. 1° Supplendo circumstantias, vel explicationes factorum ab aliquo Hagiographo omissas, 2° aperiendo ordinem chronologicum ab aliquo sacro Scriptore derelictum, vel non clare servatum.

Duo haec emolumenta parallelismi historici potissimum locum habent in tribus historiae sacrae partibus, scilicet in historia Regum, in historia Machabaeorum, et in historia Evangelica. Historia Regum non potest accurate intelligi nisi simul conferantur quatuor libri Regum, et duo Paralipomenon ubi eadem historia breviter repetita legitur: qua de re opportune observat Hieronymus in epistola ad Paulinum: « Paralipomenon liber, idest instrumenti veteris *επιτομη*, tantus ac talis est, ut absque illo si quis scientiam Scripturarum sibi voluerit arrogare seipsum irrideat. Per singula quippe nomina, iuncturasque verborum et praetermissae in Regum libris tanguntur historiae, et innumerabiles explicantur Evangelii quaestiones ». Machabaeorum etiam historia accurate cognosci nequit nisi duobus libris Machabaeorum simul collatis et compositis: hi enim libri, ut alias vidimus, non sunt alter alterius continuatio, sed ambo eandem historiam suo quisque modo enarrant. Hinc docti quidam scriptores biblici utriusque libri concordiam confecerunt, ut recenter praestitit cl. Patrizi in libro: *De consensu utriusque libri Machabaeorum*. Romae 1856. Demum historia Evangelica, ut notum est, ex quatuor Evangelis simul collatis colligi debet: qua in re insignem usum praestant Evangelia Lucae, et Iohannis, alterum suppeditans ordinem chronologicum, quem coeteris melius servat, alterum lacunas ab aliis Evangelistis relictas implens, cum in Christi gestis, tum in doctrina imprimis dogmatica. In hac Evangeliorum comparatione docti et sancti viri sive antiqui sive recen-

tiores sedulam operam navarunt: notum est S. Augustini opus: *De consensu Evangelistarum*, cui praeverant Ammonius Alexandrinus, et Tatianus in *Diatessaron*: et recentioribus autem plura huius generis opera prodierunt sub nomine *Concordiae Evangelicae*, quae alias laudabimus.

Si quis speciale aliquod exemplum quaereret usus Parallelismi historici afferri posset historia de tentatione Hevae Gen. III ubi serpens inducitur alloquens, et decipiens mulierem, quam historiam hodierni rationalistae inter fabulas amandant, alii vero cum Caietano allegoriam esse voluerunt: verum eam nihil absurdi continere, et totum opus diabolo tribuendum esse, qui instrumento serpentis usus fuerit, docent loca parallela, ubi *Satanae* tribuitur protoparentum seductio, isque *serpens* vel *draco* appellatur. Cfr. Sap. II, 24, Io. VIII, 24, 2 Cor. XI, 3, 14, Apoc. XX, 2 et 3, etc. Alterum exemplum desumi potest ex Act. IX, 28 seqq. ubi narratur Paulum post suam conversionem Ierosolymis cum Apostolis diversatum fuisse: hoc enim non de longa commoratione, prout verba videntur indicare, sed de brevissima et paucorum dierum intelligendum esse apparet ex parallelis locis Act. XXII, 18, et Gal. I, 18.

III. *Parallelismus didacticus*, seu doctrinalis, ad intelligendam doctrinam praesertim N. T. utilissimus est, quandoque etiam necessarius. Hagiographi enim non solent fusius et systematice totam doctrinam vel singula eius capita proponere, sed sparsim, et pro data occasione nunc unam nunc alteram veritatem aut moralem legem tradunt, et saepe ex parte tantum, et obscure; uberiorem enim doctrinae explicationem vitae vocis magisterio reservabant. Hinc fit ut saepe consulenda sint multa loca ubi de eadem doctrina sermo recurrit, ut quis claram et accuratam eiusdem notitiam sibi comparet: quod in aliquo loco obscurius, et brevius innuitur in alio clarius et copiosius explicatum invenitur, quod alicubi metaphorice sub figurarum umbra insinuat, alibi enunciat apertissimis verbis, quod in aliquo loco absolute et generaliter ponitur, in aliis cum debitis restrictionibus explicatur, et exceptiones, si quae factae aut faciendae sunt, declarantur.

Exempla utilitatis parallelismi didactici in Theologia sive dogmatica sive morali fere innumera occurrunt. Ita ex. gr. cum le-

gimus Luc. II, 41, 43, 48 Iosephum vocari *patrem*, vel *parentem* Christi, non est in iis locis sistendum, sed conferenda sunt cum altero loco eiusdem Lucae III, 23, et cum Matth. I, 18, 20, 23, ubi distinctius explicatur quo sensu Ioseph esset pater Iesu, non scilicet naturalis, sed *putativus*. Similiter ea quae leguntur Matth. XVIII, 17 seqq. et XXVIII, 19 seqq. et alibi de illimitata potestate omnibus Apostolis concessa comparanda sunt cum Matth. XVI, 17-20, Io. XXI, 15-18 et aliis locis ubi de Petri primatu, et praerogativa agitur, ut quis accuratam notionem distributionis iurium in Ecclesia, et hierarchicae eius constitutionis sibi comparet. Ita etiam quae Paulus habet Rom. III, 27 seqq., V, 4, Gal. II, 16, III, 8, de fide iustificante declarantur ex 1 Cor. XIII, 2 Gal. V, 6, Iac. II, 12-18, ubi necessitas bonorum operum praeter fidem adstruitur. Item illa quae habentur Rom. IX, 11-24, ubi Apostolus liberum arbitrium in salutis negotio excludere videtur, declarantur ex 1 Cor. XV, 40, ubi gratia Dei cum hominis cooperatione coniungitur. Et haec quidem in re dogmatica. Ex doctrina autem morali notissimum est exemplum de amore parentum, de quo legitur Luc. XIV, 26: « Si quis venit ad me et non odit patrem suum, et matrem, et uxorem, et filios, et fratres, et sorores, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus, » quae omnino temperanda sunt ex parallelo loco Matth. X, 37, seqq. « Qui amat patrem, aut matrem *plus quam me*, non est me dignus: et qui amat filium, aut filiam *super me*, non est me dignus. Et qui non accipit crucem suam, et sequitur me, non est me dignus. » Ita etiam quae in Evangelio leguntur de vitando omni prorsus inreuerando, de non vocando patre aut magistro super terram, et alia similia intelligenda sunt abusus tantum horum condemnare, non autem usum, qui in parallelis locis aut permittitur aut praecipitur. Christus Dominus Matth. XIX, 29 ait: « Omnis qui reliquerit domum vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem aut filios propter nomen meum, *centuplum accipiet, et vitam aeternam possidebit*: » dubitatum a nonnullis est utrum illud *centuplum* sit aliquid distinctum a vita aeterna, an potius idem praemium aeternum diversis verbis expressum, aut saltem aliquod accidentale praemium in futura vita recipiendum, an vero praemium aliquod in hac vita: sed omnem prorsus dubitationem remouent lo-

ca parallela Mar. X, 30, et Luc. XVIII, 29 seq.; Marcus enim addit: *nunc in tempore hoc*, et Lucas: *in hoc tempore*.

§. III. Ratio inveniendi parallelismum et monita de eius usu.

1^o Praecipuum ac generale medium ad loca parallela Sacrae Scripturae invenienda, est assidua lectio eiusdem Scripturae, qua familiaris redditur cum materia eiusdem, tum stylus et forma dicendi. Ex hoc enim fit ut lectio unius loci in mentem revocet loca similia quae alibi inveniuntur. Recolenda sunt quae alias recitavimus ex S. Augustino de Doctr. Christ. lib. II, Cap. 8, et 9, ubi hoc ipsum consultitur et praecipitur studiosis Sacrae Scripturae. 2^o Ad memoriam iuvandam maximo adiumento sunt ea opera quae vulgo *Concordantiae biblicae* appellantur, a viris doctis summo labore ac patientia concinnatae, ad loca parallela Scripturae facile inveniendae. Sunt autem concordantiae biblicae collectiones omnium, vel praecipuorum vocabulorum quae in Scripturis occurrunt ordine alphabetico dispositorum, ut in lexicis fit, ita tamen ut sub singulis vocabulis inveniuntur indicata omnia loca Scripturae in quibus illud vocabulum recurrit. Quare sufficit in concordantiis quaerere vel unum vocabulum in aliquo testimonio occurrens, ut quis statim discat omnia loca parallela. Et quamvis haec potissimum respiciant parallelismum verbalem, unusquisque tamen videt quam facile exinde sit prudenti lectori etiam parallelismum vel didacticum, vel historicum invenire. Extant autem concordantiae cum pro Scriptura hebraica, tum pro graeca, tum etiam pro latina.

1) Hebraicae tres extant praecipuae: prima confecta a Mario De Calasio. Romae 1621 4 vol. in fol. iterum edita Londini 1747-49; altera a Buxtorfio. Basileae 1632; tertia autem recentior a I. Fürstio. Lipsiae 1837-41.

2) Graeca concordantia V. T. (scilicet pro versione LXX) confecta olim fuit a Kircherio. Francofurti 1607, iterum vero emendata, reformata et aucta a Trommio. Ultraiecti 1718.

3) Graeca concordantia pro N. T. edita fuit a Schmidio. Wittenbergae 1638, iterum edita et in melius adducta a C. Bruder. Lipsiae 1841-42.

4) Latinae concordantiae utriusque Testamenti plures prodierunt, quae omnium manibus teruntur. Primus qui hoc opus excogitavit fuit Hugo Cardinalis a S. Charo ordinis S. Dominici, qui

adiuvantibus fratribus sui ordinis primam istam concordantiam biblicam iuxta Vulgatam latinam edidit circa medium saeculum XIII, quae deinceps saepius variis in locis impressa est, multis emendatis atque additis. In praefatione operi praefixa traditur modus recte utendi concordantia biblica. Alii vero praedictum opus vel in compendium redegerunt, vel aliter disposuerunt, ex quibus celebriores sunt Fr. Lucas (Coloniae 1684), item PP. Benedectini (Augustae 1751) et Falesius (ed. 2^a Viennae 1825).

3. Maximam quoque utilitatem praestant, imprimis pro reali parallelismo, *lexica biblica*, idest brevis expositio rerum biblicarum ordine alphabetico digesta. Horum satis multa habemus etiam a viris catholicis confecta. Tale est illud notissimum Aug. Calmeti primum gallice editum ab auctore, deinceps vero latine redditum cura Domin. Mansi (2 vol. in fol.) et saepius recusum. Brevius est: *Dictionarium manuale biblicum e Simonii et Calmeti scriptis haustum cura Antonii Dalmasi et Prosperii ab Aquila*. Venetiis 1769. Simile opus apud Germanos composuit Willelmus F. Hezelius sub titulo *Lexici realis S. Scripturae (Biblische real-Lexicon)* Lipsiae 1783-86, et recentius idem praestiterunt collatis studiis plures catholici theologi, quorum operis titulus est: *Universale Lexicon Sacrae Scripturae confectum a societate quadam catholicorum theologorum* (germanice) Ratisbonae 1836. Nuper vero sub directione Prof. Kaulen prodire coepit nova editio *lexici Ecclesiastici* olim a Wetzer et Welte vulgati quod caetera huius generis opera facile superabit. Nec est omittendum lexicon biblicum editum ab Ignatio Weitenauer S. I. verbale simul, et reale primo vulgatum in Germania saeculo elapso, recentius vero in usum studiosae iuventutis recusum Taurini 1866. Ex parte Protestantium extat celebre *Dictionarium biblicum (A Dictionary of the Bible)* editum a Guil. Smith. 3 Vol. in 8^o Londini 1863.

Et haec quidem de subsidiis ad loca parallela inveniendae. In eorum tamen usu quaedam sedulo attendenda sunt, ut ex iis possint solide ac tuto obscuriora loca illustrari. Haec igitur imprimis prae oculis habeantur.

1. Loca parallela non tantum specie tenus, sed vere parallela sint: scilicet eandem prorsus rem, vel vocem contineant, non tantum similem aut analogam. Contra hanc regulam peccant multi

recentiores qui ad loca quaelibet illustranda magnam citationum faraginem adducunt, quas tamen (si patienter suis in locis conferas et expendas), apparebit magna ex parte ad rem non pertinere.

2. Inventis locis parallelis, locus obscurus per clariore explicetur, ita ut, quemadmodum aiebat Augustinus (de Doctr. Christ. II, 9): « ad obscuriores locutiones illustrandas de manifestioribus sumantur exempla, et quaedam certarum sententiarum testimonia dubitationem incertis auferant, » non autem viceversa locis per se claris tenebrae affundantur ex locis obscurioribus. Contra hanc regulam peccant passim haeretici, et qui praedicata aliqua opinione, vel partium studio aguntur. Ita ex. gr. quid clarius in Scripturis invenitur quam illa loca in quibus Ecclesiae Christi indefectibilitas praedicatur, ubi scilicet et promittitur iugis ipsius Christi (Math. XXVIII), et Spiritus Sancti (Io. XIV, XVI) praesentia, et assistentia, et contra eam praedicatur praevalituras non esse inferorum portas (Math. XVI)? et tamen Novatores saeculi XVI, quibus illud dogma non placebat, loca ita aliter explicanda esse contendebant adducto in medium obscurissimo loco Apostoli 2 Thesal. II, 3, 4 seqq. ubi de quadam futura *discensione*, et revelatione hominis peccati fit sermo.

ARTICULUS III.

DE SUBSTRATA MATERIA

§. I. De notione substratae materiae, eiusque valore generatim.

Substrata materia dicitur *ipsa res, de qua auctor loquitur*, et circa quam versatur, vel integer liber vel aliqua eius pars. Considerationem substratae materiae ad rectam intelligentiam Sacrae Scripturae utilem ac necessariam esse per se patet. Siquidem auctor semper praesumitur sermonem suum naturae rei de qua loquitur accommodare; hinc una eademque vox, vel dicendi forma aliquando diversimode intelligenda est pro diversa substrata materia de qua est sermo. Quare in genere statui possunt haec principia, quae eadem sunt ac pro contextu, quocum hoc criterium magnam habet affinitatem.

Regula 1^a Interpretatio quae repugnat substratae materiae reicienda est, seu non est sensus auctoris.

Regula 2^a Interpretatio quae sola convenit cum substrata materia admitti omnino debet.

Regula 3^a Inter varias eiusdem loci interpretationes, coeteris paribus, ea est praefenda quae substratae materiae melius quam coeterae congruit.

Verum praestabit quaedam magis specialia dicere de emolumentis quae ex substrata materia percipiuntur.

§. II. De usu substratae materiae speciatim.

Consideratio substratae materiae sequentibus modis potissimum adiuvat interpretem Sacrae Scripturae.

1^o Ambiguae voces ac dictiones definit. Ita ex. gr. quod legitur Luc. I, 35 ab Angelo dictum ad Mariam: virtus Altissimi *obumbrabit tibi*: quod per se obscurum et ambiguum sonat, ex substrata materia determinatur ad significandam foecundationem sine opera viri ex divina virtute. Ita quoque 1 Cor. IX, 20, seqq. cum Paulus ait: « Et factus sum Iudaeis tamquam Iudaeus, ut Iudaeos lucrarer... iis qui sine lege erant, tamquam sine lege essem... factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifacerem. Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos, » non potest accipi de accommodatione ab Apostolo facta erroribus ac praeeudiciis aliorum, ut perperam Semlerns autumavit, neque enim de his agebatur, sed tantum de iis quae licite poterant fieri vel omitti, uti tunc erant caeremoniae legales, nec non de incommodis perferendis, et commodis posthabendis pro salute proximorum.

2^o Significationes verborum vel restringit, vel extendit. Ita ex. gr. nonnulla in Scripturis dicuntur *impossibilia*, uti salus aeterna pro divitibus Math. XIX, 24, et remissio quorundam peccatorum Math. XII, 32, Hebr. VI, 4, seqq. sed natura rei ostendit id esse intelligendum non de absoluta impossibilitate, sed de gravi tantum et relativa difficultate. Ita etiam multa quae generaliter enunciantur per voces *omnis, nemo*, ex substrata materia accipienda sunt cum restrictione: ita illud Ps. XII: « non est qui faciat bonum, non est usque ad unum, » et illud Math. X, 22: « Eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum, » et Io. III, 32: « Testimonium eius nemo accipit. » Ita etiam quaedam praeepta absolute et sine exceptione proponuntur, sed tamen ob rei naturam cum limitatione accipienda sunt; talia sunt illa Christi praeepta: « *Nolite iudicare*, ut non iudicemini » Math. VII, 1, idest vitandum esse iniquum, et temerarium iudicium; et Math. VI, 34: « *nolite ergo solliciti esse in crastinum* »

scilicet inordinata et vitiosa sollicitudine, item V, 34: « Ego autem dico vobis *non iurare omnino*... sit autem sermo vester: est est, non non: quod autem his abundantius est *a malo est*, » quod certe non excludit absolute iniurandum, quod est religionis actus, sed eius tantum abusum, cum scilicet iusta et gravis causa non intersit. Contra vero significatio vocum ob rei naturam seu substratam materiam saepe extendenda est ultra id quod sonant: ita vox *multi* vel *plures* Rom. V, 15, et 19, Math. XIX, 28 accipienda est pro *omnibus*. Ita etiam voces *multus*, *magnus*, et similia, ubi de Deo sermo est stant pro infinito, et immenso.

3° Sensus proprium a metaphorico discernit, et figurarum sensum aperit. Ita ex. gr. Christus Dominus Math. XXVI, 28, Mar. XIV, 24, Luc. XXII, 30 appellans id quod erat in calice *Sanguinem Novi Testamenti* (δὶς θανάτου) ostendit se loqui de reali sanguine, nam haec erat foederum natura, ut non vino, sed vero sanguine confirmarentur, ut apparet ex Gen. XV, 8, seq. 17-18. Ex. XXIV, 4-8, Deut. XXIX, 12, itemque ex praxi aliorum populorum imprimis orientalium. Cum autem dicit *Novi Testamenti* sine dubio illud comparat cum *Antiquo*, quod constat *sanguine* confirmatum fuisse (Ex. XXIV, 8, Hebr. IX, 18, seqq.) quasi dicat: Ego novum foedus inivi antiquo foederi substituendum, et hic est sanguis quo novum hoc foedus confirmo, sanguis, inquam, meus, cuius sanguis ille vitulorum et hircorum umbra tantum erat ac figura. Praeterea etiam ratio sacrificii in Eucharistia verbis illis innuitur; siquidem non quilibet sanguis, sed sanguis *victimae* foedus confirmare debebat iuxta receptum morem: unde orta phrasid illa etiam apud Latinos: *ferire*, *percutere*, *tereere foedus*, quia scilicet victimam feriendo et mactando confirmabatur.

4° Sensus implicitos et consequentes detegit. Ita Math. XIX, 9 cum Christus Dominus aiebat: « Dico autem vobis quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, moechatur » directe quidem et explicito condemnat divortium, indirecte autem et implicite damnat etiam polygamiam; haec enim si liceret Christianis, nihil impediret quominus, manente vineale contingali cum uxore dimissa, altera etiam duci posset: « Atque hic est locus (subiungit Iahnus Enchir. § 20) damnans polygynaciam a Theologis quaesitus, et non observatus. » Quod tamen in-

inuria prorsus ab eo affirmatur: locus enim ille iuxta praedictum sensum observatus fuerat a Bellarmino (de Matrimonio Cap. X), a Tournely (de Matrim. Quaest. V, Art. I, concl. 3°) aliisque. Alterum exemplum nonnulli desumunt ex textu illo Iohannis (Io. I, 14) de Verbo divino aientis: « *In propria* (εἰς τὰ ἴδια) *venit*, et sui eum non receperunt, » idest in domum suam, ad *suam familiam*, ut apparet ex. gr. ex alio loco Io. XIX, 27 ubi eadem phrasid, εἰς τὰ ἴδια, *in sua*, in hac significatione accipitur: hac igitur loquendi ratione ostenditur Verbi divinitas; Deus enim in V. T. tanquam paterfamilias exhibetur, cuius sponsa erat synagoga, et filii Hebraeorum populus. Nec potest id convenienter explicari ex origine Davidica Christi secundum carnem, nam subiectum sermonis hic est Verbum, λόγος, quod solum postea vers. 14 dicitur *caro factum*.

§. III. De ratione inveniendi substratam materiam, et monita de huius criterii usu.

Ut probe dignoscatur quanam sit uniuscuiusque loci substrata materia imprimis integer textus et contextus attente perlegendus est; eiusdem autem rei natura, si forte nota lectori non sit, aliunde discenda est, et ad hoc maxime pertinet studium Archaeologiae biblicae, quae res minus notas nobisque obscuras, earumque naturam ac proprietates docet. Aliquando ipse Auctor in principio, vel in decursu sermonis declarat, ac definit quid sit illud, de quo tractat aut tractaturus est. Ita ex. gr. Paulus in 1 Cor. VII, 1 disputationem suam exorditur hisce verbis: « De quibus autem scripsistis mihi: bonum est homini mulierem non tangere, » quod est thema, seu substrata materia totius capituli: ita etiam cap. VIII incipit: « De iis autem, quae idolis sacrificantur, scimus quia omnes scientiam habemus etc. » quibus verbis alia materia enunciat de qua pertractat in toto capite: rursus caput XII, exorditur his verbis: « De spiritualibus autem, nolo vos ignorare fratres, » quibus indicat novam substratam materiam quam tractaturus est, scilicet de variis Spiritus Sancti charismatibus, quibus primi illi fideles abundabant, de eorum scopo, et de recto eorum usu ut cedant in aedificationem Ecclesiae.

Quod pertinet autem ad applicationem substratae materiae, praeter ea quae superius dicta sunt, hoc unum notabimus, sensum verborum ex substrata materia esse definiendum tunc tantum cum

ea sufficienter cognita ac respecta sit: secus enim potius ex verbis rei natura est determinanda, quam viceversa: quae cautio in iis praesertim locis adhibenda est ubi de mysteriis agitur. Hodierni biblici rationalistae contrariam viam tenentes sub praetextu huius logici criterii omnia dogmata supernaturalia de medio sustulerunt, verba Scripturae contorquentes ne illud significant, quod ipsi putant philosophicae rationi, quam unice admittendam esse docent, minus convenire.

ARTICULUS IV.

DE SCOPO LOQUENTIS

§. I. Notio huius criterii, eiusque valor hermeneuticus.

Scopum seu finem loquentis appellamus illud ipsum, ad quod loquens vel scribens sermonem suum dirigit. Potest autem dividi in generalem et specialem, prout aut ad integrum librum vel longiorem sermonem pertinet, aut ad aliquam tantum libri vel orationis partem. Considerationem finis loquentis necessariam omnino esse ex eo evidenter apparet, quod prudens quisque sermonem suum, verbaque quibus utitur ita accomodet ut nihil proferat contrarium fini quem intendit, quinimo ad illum obtinendum coetera dirigat. Hinc apparet generalem regulam tenendam esse: *omnem sensum contrarium scopo loquentis esse reticiendum, admittendum autem qui unice vel melius quam coeteri cum illo convenit.*

Recte animadvertit recens quidam auctor, quod: « Auctoris scopum nosse, est maximam libri partem intelligere. Est enim scopus anima totius libri. Cognito scopo (non tantum libri integri, sed et singularum partium) singula vel minutissima rationem habent, cur sint a Scriptore posita, atque adhibita vel rerum vel verborum momenta. Ignorato scopo, omnia obscura, vel planissima alias atque apertissima. Vera enim lux verborum est meta, ad quam collinavit auctor. Sicut enim omnis actio ex certo animi proficiscitur consilio, atque eatenus diiudicanda est, ita et scriptio aestimanda ex hoc principio. » Verum quaedam magis in specie de hoc criterio exponenda sunt.

§. II. De emolumentis specialibus ex scopo loquentis derivandis.

1° Docet significationem obscuriorum vocum vel figurarum, et

ambiguas ad unum sensum determinat. Hinc ex. gr. familiares Iohanni metaphorae *lucis, tenebrarum, aquae vitae* aliaeque similes ex scopo etiam Iohannis declarari possunt, qui fuit refutandi insurgentes haereses Cerinthianorum et Gnosticorum huiusmodi phrasibus utentium in suorum errorum expositione, contra quos Iohannes ostendere satagit ubi sit vera lux, veraque vita et ubi verae tenebrae. Ita etiam duriores sententiae Pauli in Epist. ad Romanos praesertim Cap. IX, ubi videtur omnem locum negare hominis arbitrio, et omnia sub necessitate divinae praedestinationis concludere, lucem accipiunt ex scopo totius epistolae, qui est demonstrare adversus Gentiles simul et Iudaeos nemini gloriandum esse in propriis viribus aut meritis, sed spem unice collocandam in divina misericordia: unde fit ut aliqua hyperbole utatur in naturae viribus deprimendis, et praedestinationis efficacia extollenda.

2° Docet quousque urgenda sit significatio vocabulorum, et universaliterne an vero restrictive, absolute an vero sub quodam respectu tantum accipienda sint. Ita ex. gr. quae Moyses habet Gen. I de operibus creationis non sunt omnia necessario accipienda prout verba sonant, sed quaedam in sensu dumtaxat relativo, puta quae habet de magnitudine solis et lunae vers. 14-16, alia in sensu minus proprio vel etiam omnino figurato, ut ea quae dicit de *firmamento*, et aquis *supra* illud collectis, quae nonnisi de stratis inferioribus atmosphaerae, et de nubibus intelligenda videntur, probabilis etiam sex *dies* creationis accipiendi non sunt proprie, sed pro epochis indefinitis, ut alias animadvertimus. Horum omnium ratio est quia scopus Moysis hic non erat docere astronomiam, aut naturalem philosophiam, sed tantum Dei creatoris omnipotentiam, dominium et paternam erga homines providentiam, proindeque de rebus naturalibus loquutus est secundum id quod apparet sensibus, et iuxta modum, quo homines de his loqui solent. Ita quoque Matth. XVI, 18, 19 cum Christus Simonem destinavit ut esset fundamentum Ecclesiae, eique claves tradidit Regni coelorum, censendus est non Petro tantum praerogativam hanc, seu primatum iurisdictionis, tradidisse, sed voluisse ut eadem potestas in eius successoribus usque ad mundi finem perduraret: nam scopus eius erat non Petri utilitati et honori tantum consulere, sed imprimis medium ordinarium constituere ad Ecclesiae unitatem consti-

dam, et conservandam, quae ratio etiam post Petri mortem locum habitura erat. Sunt ergo Christi verba iuxta scopum extendenda ultra eum sensum quem prima fronte praesecerunt. Contra vero multa praecipua a Christo inculcata Matth. V, ut de non iurando, de non resistendo iniusto aggressori, aliaque similia, non sunt accipienda in toto vi et extensione verborum, quia scopus Christi ibi non erat absolute haec prohibere, sed cum respectu ad varios abusus apud Iudaeos tunc vigentes, quos corrigendos susceperat.

3° Rationem reddit cur sacri Scriptores aliqua narraverint vel omiserint, et docet quid in sermone ut principale habendum sit, quid autem ut accessorium, aut etiam ornatus tantum causa appositum. Ita si quis miretur cum viderit Iohannem Evangelistam multa de Christo Domino omittentem etiam summi momenti ut ex. gr. nativitatem et infantiam, sermonem montanum, et ipsam sanctissimae Eucharistiae institutionem, contra vero multa narrantem quae in aliis Evangelis desiderantur, et profundiore de mysteriis divinitatis doctrinam fusiis proponentem, animo recolat Iohannis scopum in Evangelio scribendo duplicem fuisse, alterum dogmaticum, ut Christi divinitatem contra Ebionitas, et Cerinthianos stabiliret, alterum vero historicum, ut ea quae ab aliis omissa fuerant narraret, omissis vicissim iis quae a reliquis Evangelistis copiose et singillatim enarrata fuerant. Ita etiam in parabolis explicandis scopus loquentis docet quasdam circumstantias ad substantiam sermonis pertinere, illas nempe quae ad scopum tendunt, alias vero esse mere accessorias vel ad ornatum narrationis appositas, eas scilicet quae ad praedictum scopum nihil conducunt.

4° Denique distinguit sensum verborum proprium a metaphoricis. Et hic recolenda sunt quae superius disputavimus de modo discernendi figuratas Scripturae locutiones, et imprimis de casibus in quibus audaciores et insuetae metaphorae ob loquentis scopum admitti nequeunt.

S. III. Modus inveniendi scopum loquentis, eumque practice applicandi.

1° Dignoscitur saepe scopus loquentis ex aperta ipsius declaratione. Ita ex. gr. Moyses Ex. XV canticum suum exorditur his verbis: « Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est: equum et ascensorem deiecit in mare, » quibus clare enunciat totius cantici

scopum. Ita etiam Salomon initio libri Proverbiorum (Prov. I, 1-7) scopum quem in scribendo sibi proposuit, aperit. Ita etiam plures Psalmi praefixum habent titulum, qui breviter indicat eorumdem scopum ex. gr. Ps. XXXVII, LV, LXV, LXIX et alibi, quod tamen de his titulis intelligendum est, qui Psalmi scopum certo et clare designant; multi enim tituli, ut alias vidimus, ita obscuri sunt ut nullum emolumentum pro re nostra suppeditent. Etiam in N. T. Lucas in exordio sui Evangelii clare exponit scopum sibi propositum in ipso Evangelio conscribendo, idemque facit aliquando Christus Dominus in principio quarundam parabolarum. Alias vero scopus sermonis in fine traditur per modum conclusionis. Ita Matth. XXV, 13 post parabolam decem virginum concludit Christus: « Vigilate itaque quia nescitis diem neque horam. » Ita etiam Iohannes circa finem Evangelii expositionem gestorum et dictorum Christi concludit hisce verbis: « Haec autem scripta sunt ut credatis, quia Iesus est Christus filius Dei: et ut credentes vitam habeatis in nomine eius » (Io. XX, 31). Ubi igitur aliqua huiusmodi declaratio occurrit, nihil ulterius inquirendum est. Quoniam vero non semper hoc fit, alia media assignanda sunt.

2° Si scopus loquentis non statim appareat, diligenter inspicendus est contextus et substrata materia; sedulo notandum, quid tanquam principale ab auctore vel loquente inculcatum sit, in quo magis insistat, quidve repetat et inculcet frequentius. Ex hac enim attenta analysi vix fieri potest ut auctoris scopus non innotescat. Ita ex. gr. etiamsi Iohannes non diceret se scripsisse Evangelium ad Christi divinitatem ostendendam, hic tamen scopus satis clare appareret ex attenta Evangelii inspectione; a principio enim ad finem nihil est quod magis urgeat, et clarius exponat, quam Christi Domini divina natura et filiatio, eaque sive facta sive dicta Christi, quae ad haec demonstranda directe conducunt.

3° Nonnunquam ad dignoscendum sacrorum Scriptorum scopum opportune interpreti succurrit testimonium traditionis, quae plura conservavit a discipulis Apostolorum accepta circa scopum ad quem illi suos libros aut epistolas scripserunt: ita factum esse de Evangelis Matthaei, Marci et Iohannis alias vidimus. Huiusmodi traditionis testimonia servata sunt ab antiquis Scriptoribus Ecclesiasticis, imprimis Eusebio (in Hist. Eccl.) et Hieronymo (in Catalogo Vir.

III). Saepe etiam occurrunt in Codicibus antiquis mss. sive graeci textus, sive versionum vel *tituli* singulis libris praefixi, vel *prologi*, seu breves praefationes, ubi de scopo Hagiographorum fit sermo iuxta receptam in praecipuis Ecclesiis traditionem, et sententiam.

Quod pertinet ad applicationem huius criterii hoc unum monendum existimamus, in singularibus locis exponendis non esse urgendum finem *generalem* totius libri, nisi tantum negative. Saepe enim fit ut in specialibus locis generalis ille scopus nullum induxerit, sed tantum peculiaris scopus ad quem locus ille tendit. Qui aliter faciunt saepe argumenta proferunt, quae vim nullam habent, et fundamento destituta sunt, quod facile esset confirmare exemplis nonnullis ex Theologiae tractatoribus desumptis.

ARTICULUS V.

DE OCCASIONE SERMONIS (1).

Occasio sermonis dicitur quaelibet externa circumstantia, quae auctorem movet ad aliquid scribendum vel dicendum. Valde affine est hoc criterium scopo loquentis, ita ut in concreto saepe vix possint distingui. Illud enim quod auctorem movet ad aliquid dicendum plerumque est etiam finis propter quem illud dicit. Per se tamen haec duo distingui possunt, praesertim cum agitur de iis quae incidenter a loquente, vel scribente pro data occasione proferuntur, nec proprie pertinent ad scopum quo tendit sermo vel scriptum.

Usus occasionis loquendi plus minus idem est, quem notavimus in scopo loquentis.

Itaque cognita occasione, qua sacri Scriptores aliquid protulerunt, ea quae aliunde obscura vel ambigua essent mirifice declarantur, significatio dictionum vel augetur vel imminuitur, sensus proprius a metaphoricis distinguitur, denique ratio reddi potest

(1) Hoc et sequens criterium possent aliquo modo ad *historiam* referri, cum aliquid exhibeant extrinsecum sacris Auctoribus eorumque libris. Verum opportunius indicavimus eis locum dare inter logica criteria, quia directae et proxime influunt in mentem auctoris, vel loquentis, et aliunde haec plerumque ex ipsa lectione S. Scripturae innotescent, quin ad *historiam* vel ad *Archaeologiam* recurrendum sit. Criteria vero historica vocabimus ea quae magis proprie ad externas circumstantias auctoris et sermonis pertinent, et ex historia antiqua innotescent.

illorum quae sine causa dicta videri possent. En aliquot exempla. Io. VI, 54 et 56 legitur Christum dixisse: « Amen, amen dico vobis: nisi manducaveritis carnem filii hominis, et biberitis eius sanguinem non habebitis vitam in vobis... caro enim mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus. » Contendunt haeretici sacramentarii verba haec metaphorice accipienda esse de interna fide in Christum habenda. Verum, coeteris omissis, si *ocasio* inspicatur quae Christum movit ad ea proferenda, haec interpretatio absurda apparet: ut enim legitur vers. 53 Iudaei cum Christum audissent promittentem se ipsum suamque carnem in cibum: « litigabant... ad invicem dicentes: quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? » Occasione autem huius murmurationis seu difficultatis credendi auditorum Christum protulit verba superius recitata. Ergo non possunt metaphorice intelligi, sed *emphasim* continent, ut omnino verum esse affirmetur quod illi credere recusabant. Matth. X, 5 ait Christus Apostolis paulo ante a se electis: « In viam gentium ne abieritis, et in civitates Samaritanorum ne intraveritis: sed potius ite ad oves quae perierunt domus Israel: » quae prima fronte videntur contradicere aliis testimoniis, ubi Christus Apostolos mittit ad omnes gentes ex. gr. Mar. XVI, 13: « Euntes in mundum universum praedicate Evangelium omni creaturae. » Verum cessat difficultas si attendatur *ocasio* illius prioris praecepti: illud enim Apostolis datum est occasione qua Christus incipiebat per Apostolos praedicare suum Evangelium; in illo autem exordio prudentia requirebat ne discipuli ad Samaritanos et Gentiles diverterent, quos Iudaei contemptui habebant, ideoque scandalum suscipissent si vidissent hebraeos doctores illis gentibus praedicantes: postquam vero praedicatio Iudaeis facta esset et Christus ipse morte sua illam confirmasset, tunc opportunum erat aliis gentibus annunciare Christi fidem, et huc pertinet illud alterum praeceptum post resurrectionem a Christo datum. Aliquando etiam negative hoc criterium invat interpretem. Scilicet cum quaedam a Christo Domino vel ab Apostolis legitimus prolata, quae absque ulla speciali occasione dicta sunt, sed sponte, et proprio, ut dicitur, motu, dicimus haec accipienda esse absolute, et, coeteris paribus, iuxta totam verborum significationem, non autem improprie aut relative, multo autem minus per quamdam accommodationem factam praeci-